UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

XXXIII. de privilegiis & excessibus privilegiatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63277

Visual Library

do, recepta cautione de opere ſuis ſumptibus demoliendo, ſi injuſte ædificium pronunciabitur.

De Privilegiis & Exceſsibus privilegiatorum.

TIT. XXXIII.

Poſtremo tam Prælati, quam ſubditi ſive Clerici ſive Religioſi, etiam non Clerici, non raro excedunt & delicta committunt in ſuis privilegiis.

1. *Quid eſt Privilegium?*

c.31. h. t. PRivilegium eſt jus ſingulare a Superiore contra jus commune uni vel pluribus conceſſum. Singulare, inquam; quia, cum detur contra jus commune, neque ultra perſonas, neque ultra res privilegio expreſſas per interpretationem eſt extendendum. Jure Canonico Privilegia dici ſolent quælibet indulta, exemptiones, libertates, & gratiæ ſeu indulgentiæ contra jus concedi ſolitæ.

c.2. & c.17. in fine eod. Decius in c. Sicut Romana in pr. ſup. de reſcr.

2. *Quotuplex eſt Privilegium?*

Primo, Privilegium aliud eſt *Perſonale*, quod proximam conceſſionis cauſſam a perſonis habet, quarum merita, conditio vel qualitas dant locum privilegio: aliud

iud *Reale*, ſive Rei, cauſſæ, vel loci, uod alicui dignitati, corpori, univerſita- vel collegio, aut Studio generali conceditur. Cujusmodi privilegia, etiam perſonis ſublatis, in rebus ſubſiſtunt & durant. Perſonalia vero ſimul cum perſonis, quibus conceſſa, intereunt.

II. Aliud eſt *Generale*; quod pluribus perſonis, vel ratione plurimarum perſonarum rerumve conceditur: aliud *Speciale*, quod uni loco vel perſonæ ſingulari aliquo favore indulgetur.

3. *Exceſſus privilegiorum circa quæ potiſſimum verſantur?*

Circa abuſum ipſorum privilegiorum. Neque enim privilegiatis licet pravam interpretationem contra & præter mentem concedentis producere, aut alio quoque modo privilegiis ſibi conceſſis abuti, vel aliorum privilegiis derogare; digni alioqui, qui privilegia ſua amittant.

4. *Quibus præterea modis amittitur privilegium?*

Amittitur Primo, Morte privilegiati, ſi perſonale ſit privilegium. II. Lapſu temporis, ſi privilegium ſit temporale. III. Præſcriptione 30. vel 40. annorum. IV. Renunciatione, tacita vel expreſſa. V. Revocatione, aliisque modis.

c. 4. & c. Privilegia 24. h. t. Vide Suarez. de Legib. lib. 8. c. 34. & ſeqq.